REGVLÆ PHILOSOPHANDI.

HYPOTHESES.

Hypoth. I. *Causas rerum naturalium non plures admitti debere, quàm quæ & veras sunt & earum Phænomenis explicandis sufficiant.*

Natura enim simplex est & rerum causis superfluis non luxuriat.

Hypoth. II. *Ideoque effectuum naturalium ejusdem generis eadem sunt causæ.*

Uti respirationis in Homine & in Bestia; descensus lapidum in *Europa* & in *America*; Lucis in Igne culinari & in Sole; reflexionis lucis in Terra & in Planetis.

Hypoth. III. *Corpus omne in alterius cujuscunque generis corpus transformari posse, & qualitatum gradus omnes intermedios successivè induere.*

Hypoth. IV. *Centrum Systematis Mundani quiescere.*

Hoc ab omnibus concessum est, dum aliqui Terram alii Solem in centro quiescere contendant. PHÆNOMENA.

Hypoth. VI. *Planetas circumjoviales, radiis ad centrum Jovis ductis, areas describere temporibus proportionales, eorumque tempora periodica esse in ratione sesquiplicata distantiarum ab ipsius centro.*

Constat ex observationibus Astronomicis. Orbes horum Planetarum non differunt sensibiliter à circulis Jovi concentricis, & motus eorum in his circulis uniformes deprehenduntur. Tempora verò periodica esse in ratione sesquiplicata semidiametrorum orbium consentiunt Astronomi: & ~~Cassinus, qui omnia Microscopio & per Eclipses Satellitum accuratius definivit, litteris ad me datis, quinetiam numeris suis mecum communicatis, significavit rationem illam sesquiplicatam eum accuratè obtinere, quàm sit possibile sensu deprehendere. Id quod~~ ex Tabula sequente manifestum est.

Satellitum